Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



dentes eius ut dentes leonis et molares eius ut catuli leonum
posuit vineam meam in desertum et ficum meam decorticauit nudauit spoliauit
eam et proiecit albi facti sunt omnes eius Plangite quasi virgo accincta super
super virum pubertatis suae Perisse sacrificium et libamen de domo domini
et luxerunt sacerdotes ministri domini Depopulata est regio luxit
humus quoniam devastatum est triticum confusum est vinum et languit oleum
Confusi sunt agricolae ululaverunt vinitores super frumento et hordeo
quia periit messis agri Vinea confusa est et ficus languit Malogranatum
et palma et malum et omnia ligna agri aruerunt quia confusus est
gaudium a filiis hominum Accingite vos et plangite sacerdotes ululate
ministri altaris ingredimini cubate in sacco ministri dei mei quoniam
interiit de domo dei nostri sacrificium et libamen Sanctificate ieiunium
vocate coetum congregate senes omnes habitatores terae in domum dei nostri
et clamate ad dominum a a a diei quia prope est dies domini et qui vastatio
a potente veniet. Nunquid non coram oculis vestris alimonia periit de
domo dei nostri laetitia et exultatio Computruerunt iumenta in stercore suo
demolita sunt horrea dissipatae sunt apothecae quoniam confusum est triticum
Quid ingemuit aut mugierunt greges armenta quia non est pascua eis
Sed et greges pecorum diffluxerunt. Ad te domine clamabo quia ignis
comedit speciosa deserti et flamma incendit omnia ligna regionis
Sed et bestiae agri quasi area sitiens imbrem suspexerunt ad te
quoniam exsiccata sunt fontes aquarum et ignis devoravit speciosa deserti
II
Canite tuba in Sion ululate
in monte sancto meo Conturbentur omnes habitatores terae
quia prope est dies tenebrarum et caliginis dies nubis et
turbinis quasi mane expansum super montes populus multus et fortis
Similis ei non fuit a principio et post eum non erit usque in annos gen-
erationis et generationis Ante faciem eius ignis vorans et post eum urens
flamma Quasi ortus voluptatis terra coram eo et post eum solitudo
deserti nec est qui effugiat eum Quasi aspectus equorum aspectus eorum
et quasi equites sic current Sicut sonitus quadrigarum super
capita montium exsilient sicut sonitus flammae ignis devorantis stipula
Velut populus fortis praeparatus ad praelium A facie eius cruciabuntur
populi omnes vultus redigentur in ollam Sicut fortes current
quasi viri fortes bellatores ascendent murum Vir in viis suis